



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Wolffgerus Abbas IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

cui Waltheri nomen erat; quamdiu ille hâc dignitate fulserit, in antiquis monumentis nostris controversum est; alia quippe annos 17., duos supra viginti præfuisse alia memorant; certum est Waltherum maximâ cum laude in hujus dignitatis luce versatum fuisse, & gesti officii anno octavo, Christi 1023. Ecclesiam Monasterii nostri à Meinhardo Episcopo Wirceburgensi solenni ritu dedicatam esse; uti quidem vetustissima Calendaria luculenter adstruunt.

WOLFFGERUS ABBAS IX.

Walthero piè defuncto Wolffgerus successit anno Domini, ut vero simillimum est, 1033. & Monasterium annos 12. gubernavit, cum summâ suâ commendatione, tum rerum nostrarum maximo emolumento; ut enim plura alia missa faciamus, Oratorium S. Benedicti exstruxit non modicis sumptibus, quos ad Dei Cœlitumque gloriam bene expendi credidit: atque hoc opus Bruno Ecclesiæ Wirceburgensis Antistes ita probabat, ut ipse majorem illi splendorem addere solenni consecratione voluerit: asservabat illud magnam sacrorum lipsanorum copiam variorum
Mar-

Martyrum, præcipuè caput D. Felicitatis unà cum reliquiis aliis auro & gemmis fulgido in loculo custodiebat; laudabilis ista pro augendo Cœlitum honore sollicitudo illius animum à Monasterii curâ nequaquam abstrahabat; quin potiùs in id toto pectore incumbere visus est, ut illius commodis ubique consultum iret; hunc in finem cum multa suscepisset confecissetque, tum summâ diligentiam libros complures, & hos inter historiam Ecclesiasticam describi curavit.

EGGEBERTUS ABBAS X.

Omniùm, quos hucusque laudavimus, Præfulum unus felicissimus Eggebertus fuit ex Monacho S. Gorgonii Gratianopoli in Gallia, ubi famâ sanctitatis conspicuus erat, Monasterii nostri Abbas X. factus anno 1074. Eo demum tempore post tot persecutiones aram in Adelberone Episcopo Wirceburgensi, portum post tot tempestates gravissimas, quibus primo & secundo sæculo jactabamur, invenimus; utpote qui res nostras inclinatas adeò erexit, ut Secundum Fundatorem jure maximo dicamus & veneremur: præterquam enim, quòd Reverendissimus Præful
Mona-